Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

asserebas in dei rebus non possibilitatem
inspici debere sed animum. neque posse
ei deficere uerba qui credidisset in uerbo.
Quid igitur faciam? Quod implere non
possum. negare non audeo. Super onerariam
nauim rudis uector imponor. Et homo
qui necdum nauis clauum in lacu rexi.
euxini maris credor fragori. Nunc
mihi euanescentibus terris celum undique et
undique pontus. nunc unde tenebris in-
horrescentes et ceca nocte nimborum
spumei fluctus canescunt. Hortaris
ut tumida malo uela suspendam. ru-
dentes explicem clauum regam. Pareo iam
iubenti. et quia caritas omnia potest.
sancto spiritu cursum prosequente confidam. habi-
turus in utraque parte solacium. Si me ad op-
tatos portus estus appulerit gubernia-
tor putabor. si inter asperos orationis
anfractus impolitus sermo substiterit.
facultatem forsitan queras. uoluntatem
flagitare non poteris. Igitur uercelle
ligurum ciuitas haud procul radicibus
alpium sita. olim potens, nunc raro
habitatore semiruta. Hanc cum ex
more consularis inuiseret. oblatam
sibi mulierculam quandam una cum
adultero. nam id crimen maritus im-
pegerat. penali carceris horrore cir-
cumdedit. Neque multo post cum liuidas
carnes ungula cruenta pulsaret.
et sulcatis lateribus dolor quereret
ueritatem. infelicissimus iuuenis uo-
lens compendio mortis longos ui-
tare cruciatus. dum in suum mentitur sang-
uinem accusauit alienum. solusque pro omnibus
miser merito uisus est percuti. quia non reli-
quit innoxie unde posset negare.
At uero mulier sexu fortior suo. cum
eculeus corpus suum extenderet. et sordidas
fetore carceris manus post tergum uin-
cula cohiberent. oculis quos tantum
tortor alligare non poterat suspexit
ad celum. et uolutis per hora lacrimis.
Tu inquit testis es domine Iesu cui oc-
cultum nichil. qui es scrutator cordis
et renis. ne ideo me negare uelle
ne peream. sed ideo mentiri nolle ne
peccem. At tu miserrime homo. si interire
festinas. cur duos interimis innocen-
tes. Equidem ipsa cupio mori. cupio
hoc inuisum corpus exuere. sed non quasi
adultera presto iugulum. Micantem
intrepida excipio mucronem. innocen-
ciam tantum mecum feram. Non moritur quisquis
uicturus occiditur. Igitur consularis pa-
stis luminibus cruore. ut fera que gu-
statum semel sanguinem semper sitit.
duplicari tormenta iubet. et seuum
dentibus frendens, similem carnifici
minitatus est penam. nisi confiteretur sexus
infirmior. quod non potuerat robur uiri-
le tacere. Succurre domine Iesu. ad
unum hominem tuum. quam plura inuenta
sunt supplicia. Crines ligantur ad sti-
pitem. et toto corpore ad eculeum fortius
alligato. uicinus pedibus ignis appo-
nitur. Vtrumque latus carnifex fodit.
nec papillis dantur inducie. Immo-
ta mulier manet. et a dolore corporis
spiritu separato. dum consciencia bona fruitur.
uetuit circa se seuire tormenta. Iudex
crudelis quasi superatus attollitur. illa
dominum deprecatur. Soluuntur membra com-
pagibus. illa oculos ad celum tenet.
De communi scelere alius confitetur.
illa pro confitente negat. et periclitans
ipsa alium uindicat periclitantem. Vna
interim uox. cede. ure. lacera. non feci.
Si dictis tollitur fides. ueniet dies
que hoc crimen diligenter excuciat.
habeo iudicem meum. Iam lassus tortor